

Sequitur: *sed sit in eis pia consideratio; et praeveniant horas canonicas.* Non est enim pia consideratio, si aliquis infans vadit retro cellararium quaerendo panem et vinum. Et hoc sciendum est, quia ille eibus dari debet pueris, qui aetati suae convenit. *Praeveniant horas canonicas,* i. e. anticipent horas regulares. Canon enim graece latino regula interpretatur, ac si diceret aliis verbis: antequam alii fratres manducant, comedant prius, infantes videlicet et senes. Forte dicit aliquis: Contrarium est huic capitulo illud, quod inferius dicit: *Pueris vero minore aetate non eadem quantitas reservetur, quae majoribus, sed minor.* Cui respondendum est: Non est contrarium, eo quod illi infantes quia jam antea manducaverunt, bonum est, ut non illis sicut ceteris tantum pulmentum tribuatur, eo quod pene jam saturati sunt. Sciendum est enim, quia, quamvis infans dicatur septem annorum, tamen S. Benedictus non dicit solum de illis infantibus, qui septem annos habent, sed etiam de illis dicit infantibus, qui octo vel novem aut decem annorum sunt, sicut diximus superius, juxta vires, et propter vires indigentes adjutorio, quia ille non solum de infantibus hoc facit, sed etiam de horis, cum hora secunda dicit agere tertiam; similiter et de temporibus fecit. Ille enim dicit: hiemis tempus a kalendis novembris, cum hiemis tempus non a kalendis novembris inchoatur, sed postea.

*Cap. XXXVIII.*

DE HEBDOMADARIO LECTORE.

Rectum ordinem tenuit etiam in hoc loco S. Benedictus in eo, quod dicturus erat de cibo et potu corporali et praedixit de lectore mensae, h. e. de cibo spiritali, quia cibus spiritalis praecedit corporalem, ideo etiam debuit praeferrī in ordine. Et in hoc claret et manifestatur, quia monachus ad mensam non ante debet capere cibum corporalem, quam inferior ejus homo capiat spiritalem. Nunc videndum est, unde orta est haec consuetudo, ut lectio sit in refectorio. Sicut narrat Cassianus in libro quarto institutionum (cap. 17), [quia] Cappadociae monachi imprimis coeperunt